Et corporis & animæ felicitatem precatur, suaq; cōmendat officia.

Breues quidem tuas, mi Paule, sed amoris et beneuolentiae plenas accepi literas. Ex quibus id quod mihi nunquam fuit dubium cognoui, me nimirum tibi esse carissimum. Quod cum nullo meo fiat merito, est primum quod tibi gratias agam maximas, deinde mirari me in amore a te superari, de quo scribenti ad te uberius, et meum in te propensum animum copiosius significanti, ne uerear ne aut nimia mei commendatione fidem mihi derogem. (Multa enim, ut inquit ille, fidem promissa leuant.) aut pro tuis singularibus in me beneficiis inani uerborum loquacitate et pollicitationibus, quibus quiuis abundat, tibi satisfacere uoluisse uidear.

His itaque omissis illud te unicum rogo, ut si quid in me ingenuitatis, pudoris ac fidei animaduertisti, mihi credas me tui comitis suauissimi, amoris syncerj, beneficiorum non uulgarium esse et fore quoad uiuam memorem, ac si ulla unquam se mihi occasio testificandae gratitudinis in te meae obtulerit, illam ambabus arrepturum manibus, et si non paribus officiis, certe animi singularj promtitudine, et significatione gratitudinis tibi satisfacturum.

Altera te rogo, quod te etiam non rogatum facturum spero, ut mei memoriam cum beneuolentia retineas, et occasionem ad me scribendi oblatam ne negligas. Ego quoque idem me spondeo facturum, et si te hoc genere officij delectari uidero, non modo hinc ex Italia, sed etiam ex Transsyluania nostra, ut tibi pollicitus etiam antea sum, si Dominus saluum me ad meos reduxerit, occasionibus singulis literas ad te scripturum. De meo statu scripsi ad nostrum Mazerium pluribus. Summa tamen uel haec redit, me unde Dei benignitate esse sanum, et aliquandiu hic adhuc cogitare morari, professores enim quos aliquandiu libenter audirem, nondum legentes audire potuj. Si ergo mihi per Romanos mea licebit, durabo hic aliquanto adhuc tempore. Tu quaeso ad me scribes saepius, et me doctiss. Parenti tuo, si ad uos redierit commendato, quem D. O. M. quam diutissime ad totius reipublicae literariae utilitatem saluum conseruare uelit. De Gellio nihil adhuc accepi, quaeso si uacat scribe ad me qualis sit editio, cui inscripta et dedicata, et cuius annotationes habeat, et si quid praeterea ad me et ad literas pertinere arbitraberis, fac ut quaeso mecum communices. Uale mi Stephane, et enitere, ut decus literarium iam pridem a tuis maioribus acquisitum, et haereditate retentum in uestra familia, per te quoque propagetur ac augeatur.

Datum Patauij 24 die Augusti. 1585.

Tibi deditissimus.

Georgius Enyedinus Transs. Ungarus

Multa eruditione et moribus
honestissimis insigni iuueni,
D. Paulo Stephano, amico
sui plurimum obseruando.

G. Enyeding.

Por faire tenir a Monsr
Casobon chez monsieur
Godefroy.